Dzielski Alb. Jos. Conclusiones theologicae iuxta mentem D. Thomae Doct. Angelici.



CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

Juxta mentem D. THOMÆ Doct. Angelici,

PRÆSIDENTE

M. CASIMIRO VENCESLAO STRASZYNSKI,
S. Th. Professore, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonico, Præposito Mstyczouiensi,

Obiectis satisfaciente,

M. ALBERTO JOSEPHO DZIELSKI, *Philosoph. Doct. & Professore,*
In Lectorio Theol. Vniuersitatis Almæ Academiæ Crac.
Publicè ad Disputandum
PROPOSITÆ.

Anno Dñi 1688, Die 7. Nouembr.



B. IOANNES CANTIVS Polonus S.Th. in Vniuersitate Cracouiensi Doctor Presbyter Secularis Romæ A.D. 1681

Omne decus Tibi Sancte Pater Iagielonia Pallas
Debet, tum ſacræ nomina docta Togæ.
Ergo tuam fer opem nobis Dux Diue Lycæi
Sarmatici, & noſtri gloria magna ſoli.



Illuſtriſſimo & Magnifico Domino,

D. CASIMIRO

De Kurozweki

MECINSKI,

CAPITANEO VIELVNENSI,

Domino & Patrono Obſeruandiſſimo.



Vam Diuina prouidentia inter Paradiſi delicias humano generi contulerat felicitatem, ſi eam primæua innocentia retinuiſſet, æternùm inter beata illa tempe commoraremur, ſed manus illa, quæ fructum de arbore carpſit, hortum deliciarum occluſit, excluſitq́ procul hominem damnatum ad ſpinas & tribulos ILLVSTRISSIME ac MAGNIFICE DOMINE. Ita locus voluptatis, in quo ver perenne mille ſpirabat gratias & Etheſias negatus hominibus, triſtis ſolitudo caligoq́ conceſſa, vt inter denſas ignorantiæ vmbras & difficultatum deuia, manus & intellectus hominis teneretur. In tanto nubilo nullum ſerenum, ſed plusquàm Cymmeriæ vmbræ, vbi nemo ſine metu, ſine offenſione proceſſit, cieuiſſetq́ in immenſum malum, ni Diuina Maieſtas rebus humanis proſpexiſſet, dediſſetq́ lumen, quod ad portas Paradiſi monſtraret iter, Sacram Theologiam intelligo, è cuius arcanis Theſes præſentes depromptas Magno Nomini Tuo ILLVSTRISSIME ac MAGNIFICE DOMINE dedico conſecroq́, vt candidiſsimis ROSIS Tuis coronatæ, in Orbis faciem prodeant amæniùs etiam inter rigidiores ſæuientis Autumni minas. Scilicet Gentilitium ROSETVM Tuum cum ipſa naſcente Libertate Campis illatum Sarmaticis amæniſsimam fert ſemper æſtatem,

tem, quam nulla temporis sortisq penuria depascitur, sed felicißima succeßione, per amplißima in hac Republica honorum meritorumq effloreſcit subsellia. Nullam ætatem inuenies, quæ Magnorum PORAIORVM non testetur æstatem inter belli Pacisq decora illustrem, quorum gloriæ non ero iniurius, si augustos Eorum manes, quos magna virtus æternitatis intulit viridarijs ad Heliconis vmbras non prouocauero, in Te Eorum famam & Nomina veneratus, qui omnem ILLVSTRISSIMÆ Domûs adimples mensuram. Effloreſcit in Tuis meritis ROSARVM gloria, saluberrimis consilijs toties in facie Reipublicæ per Generalia Comitia & Tribunal Regni propagata, atq Præfecturâ Vielunensi illustris. Hæc TIBI Tua virtus, amor Boni Publici, & Libertatis, honorum augustalia pandit, indubitata spe in amplißimis Reipublicæ Subsellijs ROSAS Tuas collocatura, in quibus olim amænißimè floruerunt; imò Diui Maiores Tui hic vitæ statione peractâ, postquam fragrantiâ Rosarum suarum Orbem impleuissent, etiam eas ad Viridaria Cæli transtulerunt, quidni & Cælestis Sapientia Eorum coronamenta in præsenti expositione Thesium ambiat? innocens hæc ambitio est, immò meæ in TE ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE debitæ venerationis argumentum, in quem magna gratiæ & beneficiorum tuorum descendit amplitudo. Suscipies hoc oberati animi pignus & inter maiores Tuas curas patieris collocari innata in literas Literatosq humanitate. Quod dum exposco, simul liberalem cælestium Gratiarum acceßionem. Illustriss. & Magnificæ Dominationi Vestræ exopto.

Vestræ Illustrissimæ & Magnificæ Dominationis.

Obsequentissimus, & Deuotus coram DEO Exorator.

M. Casimirus Venceslaus Straszynski.

In Nomine Domini, Amen.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ, De Voluntate DEI.

I.

IN Deo verè est Voluntas, quæ spectata in ordine ad volitionem essentialem, non habet rationem Potentiæ secundùm rem, & ratione rei conceptæ; sed secundùm modum intelligendi, præcisè apprehendentem illam per modum Potentiæ, nec est quid primò constitutiuum Naturæ Diuinæ loquendo Metaphysicè.

II.

OBiectum Formale Motiuum & Terminatiuum Diuinæ Voluntatis, est sola Diuina Bonitas, quam Devs diligit necessariò necessitate quoad specificationem & exercitium simul, Creaturas verò existentes & futuras non amat necessariò sed liberè, Creaturæ tamen Possibiles vt in se & præcisè possibiles, non amantur à Deo.

III.

DAtur in Deo Voluntas libera, quâ liberè operatur, & vult circa Obiecta creata, quæ voluntas vt Natura & vt Libertas est non distinguitur Virtualiter seu cum fundamento in re, sed solùm ex parte nostri modi concipiendi.

IV.

ACtus Dei liber consistit in actualitate necessaria Voluntatis, terminata ad Creaturas seu connotante eas vt Obiectum Volitum; nec consistere potest in De-

nominatione extrinſeca petita ex productione tranſeunte ad extra Creaturarum, neq; in Formalitate neceſſaria Voluntatis Diuinæ connotando effectus ad extra, vel actionem extrinſecam DEI, neq; in aliqua Formalitate reali & infinita ab Eſſentia Diuina per modum tranſeuntis incluſa, quæ poſſit adeſſe vel abeſſe à DEO; non addit etiam ſupra Volitionem Neceſſariam perfectionem realem realiter ab illa diſtinctam, nec conſtitui poteſt per reſpectum Rationis ad Creaturas.

V.

VOluntas DEI non potuit manere omnino ſuſpenſa à terminatione libera ad Creaturas, nec eſſe libera Libertate Contradictionis; ſi autem DEVS in tempore aliquid velle inciperet, aut à libera voluntate deſiſteret, ſequeretur Phyſica mutatio in illo: Vnde ex immutabilitate Diuina rectè infertur non poſſe Libera DEI Decreta variari.

VI.

VOluntas DEI Antecedens eſt, quæ Verſatur circa Obiectum vt non Veſtitum omnibus Circumſtantijs, quibus eſt Executioni mandandum; Conſequens verò Voluntas eſt eiuſdem Obiecti, vt veſtiti peculiaribus circumſtantijs occurrentibus, & ſic Voluntas DEI Antecedens eſt Voluntas ſecundùm Quid, Voluntas verò Conſequens eſt Voluntas ſimpliciter.

VII.

DEvs Voluntate Generali & Antecedenti vult omnes homines etiam poſt Adæ lapſum ſaluos facere: Prædeſtinatus, etiam exiſtens in peccato mortali odio habetur à DEO odio antecedenti, diligitur verò ab ipſo, amore efficaci conſequenti. Hæc Voluntas Antecedens

dens, quâ Devs vult omnes homines ſaluos fieri eſt propriè & Formaliter in Deo, non tantùm Metaphoricè & eminenter; per quam etiam Devs præparat Media ſeu auxilia, quibus homines ſufficienter ordinantur & præmouentur in vitam æternam.

VIII.

DEvs per Decreta ex ſe efficacia abſolutè prædeterminat omnes actus noſtros liberos non ex pectando aut ſupponendo liberum Voluntatis noſtræ conſenſum, ſed potiùs cauſando illum, quæ prædeterminatio quâ efficaciter præmouet & prædeterminat phyſicè ab extrinſeco cauſas liberas ad operandum iuxta ſuam Naturam, minimè tollit earum libertatem.

IX.

EFficacia Diuinorum Decretorum extenditur etiam ad ſtatum Innocentiæ Angelorum & hominum, pariter prædefinit Devs Decreto ſuo abſoluto & ex ſe efficaci Materiale peccati, ſecundùm omnes rationes, quæ aliquo modo malitiam moralem non exprimunt.

X.

IN Deo reperitur Formaliter Amor & non ſolùm Gaudium reſpectu intrinſecæ Bonitatis; non datur tamen Iuſtitia Commutatiua, licet datur Formaliter Diſtributiua, Miſericordia quoque vt dicit affectum ſubueniendi alienæ miſeriæ reperitur in Deo formaliter.

XI.

PRouidentia omnium rerum creatarum datur in Deo, quæ non ſolùm ſe extendit ad ſpecies rerum, ſed etiam ad Indiuidua corruptibilia, quæ conſiſtit in actu Intellectûs Practici, ſeu in actu Imperij, qui Electionem ſubſequitur, & non in actu Iudicij illam antecedente.

De Prædeſtinatione Dei.

XII.

Conueniens fuit homines à Deo prædeſtinari, & defactò ſunt aliqui prædeſtinati, quæ Prædeſtinatio ita eſt neceſſaria ad ſalutem, vt impoſſibile ſit aliquem ſine illa ſaluari, nec ſufficit ad hoc generalis Prouidentia ſeu Voluntas Antecedens, quâ Devs vult omnium ſalutem, cuius Obiectum Adæquatum includit reſpectum & ad Perſonas & ad res, nimirùm Gratiam & Gloriam, vt ad Finem Qui, ad Perſonas vt ad Finem Cui.

XIII.

PRædeſtinatio Formaliter & in recto ſolùm eſſentialiter conſiſtit in actu Intellectûs connotando tamen indiſpenſabiliter actum Voluntatis, nimirùm in ipſo Imperio ſeu Iudicio Practico conſequente Electionem, & non in Iudicio regulante electionem, neq; importat ex æquo actum Intellectûs & Voluntatis.

XIV.

PRædeſtinatio non eſt Pars Subiectiua, ſed Obiectiua; ſeu quantùm ad Obiecta reſpectu Diuinæ Prouidentiæ ſimpliciter ſumpta, inter quæ plura inueniuntur diſcrimina.

XV.

ELectio Prædeſtinatorum ad Gloriam eſt omnino gratuita, non verò ex Iuſtitia & ex præuiſis meritis, quæ Electio non eſt ad Gloriam qualitercunq; ſed ad eandem vt dandam per modum Coronæ.

XVI.

OPera bona moraliter ex Viribus Naturæ profecta non ſunt Cauſa meritoria de condigno, neque de

congruo

cō gruo primi effectûs Prædestinationis nimirùm primæ Gratiæ auxiliantis, nec potest quispiam se ad Gratiam disponere proprijs Viribus etiam dispositione negatiua infallibili.

XVII.

GLorificatio seu Beatitudo Electorum, Iustificatio, & Vocationes tam efficaces quàm inefficaces sunt effectus Prædestinationis illorum, pariter Gratia sanctificans interrupta etiam secundùm suam Substantiam, & vt primò eis collata non solùm vt recuperata; determinatio quoq; Voluntatis nostræ ad bonum supernaturale seu bonus vsus liberi arbitrij vt se tenet ex parte nostra.

XVIII.

SVbstantia Prædestinati, seu esse Substantiale illius est etiam effectus Prædestinationis, tum bona omnia naturalia & mala pœnæ, non tamen mala culpæ seu peccata: Permissiones tamen peccatorum tam in electis, quàm in reprobis sunt effectus Prædestinationis electorum.

XIX.

PRædestinatio est certa non solùm certitudine Cognitionis & Præscientiæ sed etiam certitudine ordinis & causalitatis mediorum; numerus quoque electorum est DEO certus certitudine præscientiæ & prædefinitionis; in hac tamen vita seclusâ DEI reuelatione nemo potest certò scire an sit de numero prædestinatorum; & probile est ex ipsis fidelibus Romanæ Ecclesiæ subiectis, minorem esse numerum prædestinatorum quàm reproborum.

XX.

REprobatio Negatiua antecedit præuisionem demeritorum personalium; iam verò Reprobatio Positiua supponit talem præuisionem; & prima Causa motiua Reprobationis hominum fuit peccatum Originale.

XXI.

DEvs omnibus reprobis tam adultis quàm paruulis dat media seu auxilia ad salutem sufficientia; permissio autem peccati actualis per pœnitentiam non deleti, & induratio in peccatoribus reprobis sunt effectus Reprobationis, non tamen permissio peccati Originalis.

XXII.

AD essentiam seu perfectionem Libertatis non pertinet Indifferentia excludens Diuinæ motionis & applicationis necessitatem, imò est impossibilis: Vnde Decretum prædeterminans non tollit, sed causat actualem Voluntatis nostræ libertatem, & perficit libertatem potentialem.

De SS. Trinitate.

XXIII.

DAtur in Diuinis seu intra DEVM actu verè & formaliter realis Processio vnius Personæ ab alia; quæ Processiones propriè sunt Actiones immanentes ac Vitales, & non puræ emanationes; & sumptæ actiuè nimirùm Dictio & spiratio sunt ipsi actus intelligendi & volendi cum speciali modificatione virtualiter superaddita.

XXIV.

PRincipium quô proximum Generationis verbi & productionis Spiritûs Sancti, est Intellectus & Voluntas DEI, vt modificantur Relationibus Paternitatis & spirationis Actiuæ: Principium verò Quô primum & radicale est Essentia Diuina vt modificata Relatione, & nullo modo sola Relatio, nec sola Perfectio absoluta.

XXV.

PRocessio Verbi Diuini est Generatio, & ipsum Verbum est genitum & Filius, præter quam Processionem Verbi Diuini, datur Processio per Voluntatem Spiritûs Sancti, non tamen est Generatio.

XXVI,

XXVI.

DAntur in Diuinis Relationes reales etiam ſecundùm eſſe Ad, quæ tantùm ſunt quatuor, Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Proceſsio; ſpiratio verò actiua non diſtinguitur realiter à Paternitate & Filiatione, ſed tantùm virtualiter.

XXVII.

INter Relationes & Eſſentiam Diuinam non datur diſtinctio realis modalis, neq; diſtinctio realis Formalis ſiue ex Natura rei; & ſic Eſſentia Diuina vt virtualiter diſtincta intrinſecè & Eſſentialiter clauditur in conceptu Relationum, & Relationes de intrinſeco conceptu Diuinæ Naturæ, non per modum tranſcendentis ſeu conſtitutiui intrinſeci, ſed tanquam modi intrinſeci eius.

XXVIII.

NOn dantur in Diuinis tres Exiſtentiæ relatiuæ diſtinctæ inter ſe realiter & virtualiter ab Exiſtentia abſoluta Eſſentiæ; neq; Relationes ipſæ ſecundùm eſſe Ad & Relatiuum addunt perfectionem Relatiuam diſtinctã virtualiter à perfectione Eſſentiæ.

XXIX.

RAtio Perſonæ verè & Formaliter in DEO reperitur, & in Perſonis Diuinis dantur realiter tres Subſiſtentiæ relatiuæ; præter quas Subſiſtentias relatiuas datur ſubſiſtentia Abſoluta conueniens Naturæ Diuinæ formaliter.

XXX

PErſonæ Diuinæ conſtituuntur & diſtinguuntur per Proprietates Relatiuas non abſolutas, præter quas ponendæ ſunt in Diuinis Perſonales Notiones, quæ tantùm ſunt quinque: Paternitas, Innaſcibilitas, Filiatio, Spiratio Actiua, & Spiratio Paſsiua.

XXXI.

QVæ conueniunt Diuinis Perſonis ratione ſolius Eſſentiæ, ſingulariter tantùm de illis dicuntur; & quæ eis ſolùm competunt ratione Proprietatum Perſonalium, dicuntur tantùm pluraliter; quæ verò eis conueniunt ratione Proprietatum & Eſſentiæ, dicuntur pluraliter & ſingulariter, pariter Filius in Diuinis poteſt dici alius à Patre, non tamen aliud, & è contra vnum cum Patre, non verò vnus dicendus eſt: Myſterium etiam Trinitatis non poteſt demonſtrari ex effectibus Naturalibus.

XXXII.

VErbum Diuinum procedit ex cognitione omnium Personarum nimirùm ex cognitione Paternitatis, ex cognitione sui, & Spiritûs Sancti, imò etiam ex cognitione Creaturarũ Possibilium; non tamen ex cognitione futurorum aut existentium: cui ratio Imaginis verè & propriè conuenit non tamen Spiritui Sancto.

XXXIII.

SPiritus Sanctus etiam procedit à Filio, Pater tamen & Filius sunt vnum Principium Spiritûs Sancti, & sic pro Principio productiuo duas Personas per se exigit, proceditq; ex amore omnium quæ sunt formaliter & necessariò in Deo, non tamen ex amore Creaturarum Possibilium aut existentium: & si non procederet à Filio non distingueretur realiter ab illo.

XXXIV.

PErsonæ Diuinæ sunt inter se perfectissimè similes & æquales; Relationes tamen similitudinis & æqualitatis inter illas non sunt reales sed rationis; neque datur Relatio realis æqualitatis aut similitudinis fundata in Proprietatibus Personalibus, & Virtualiter distincta à Relationibus Originis.

XXXV.

MIssio cõuenit Personis Diuinis non tamen omnibus, cùm non conuenit Patri, ex Personis etiam quæ mittuntur, non potest vna Persona mitti sine alia, quæ Missio si sit inuisibilis tantùm est ratione Gratiæ & Charitatis. Cui Deo vni in Essentia, Trino in Personis, sit Laus Honor, & Gloria.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini,

D.M. MARTINI WINKLER,

S. Th: Doct: & Profess: Collegij Maioris Senioris Patris, Ecclesiarũ, Cathedr: Crac: CANONICI, Collegiatarũ Sendomiriensis PRÆPOSITI Kielcensis Scholastici, Curati Premycouien: Contubernij Gelaniani, & Scholarũ Nouodvorscianarum PROVISORIS. S. R. M. SECRETARII, Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0003626

~~Straszyński Casim. Vener.~~

~~Conclusiones theologicae de voluntate Dei.~~